

trium annorum eidem domino Principi integre faciendam designabit et assignabit idem dominus Rex super generali subvencione quolibet ipsorum trium annorum terciam partem eiusdem summe quinquaginta duorum milium impoundanda per Curiam suam in terris et locis Regni Sicilie citra Farum in tot iusticiariatibus quot pro ipsa soluzione sufficient et necessarii erunt ita quod per premissas quatuor soluciones sit eidem domino Principi in predictis terminis de tota predicta summa septuaginta milium unciarum integre satisfactum. Acto et convento solemniter inter eosdem dominum Regem et Principem quod si infra predictos tres annos guerra in eodem Regno Sicilie ultra vel citra Farum insurget et idem dominus Rex de peccuniis dicte generalis subvencionis iuvare se vellet in guerra ipsa possit eam totam pro sue beneplacito voluntatis sibi retinere. Convacione presenti seu predicta designatione aut assignacione que propterea dicto Principi facta esset aut fieri deberet prout superius dictum est aliquatenus non obstante. In hoc tamen casu idem dominus Rex promisit et tenetur ex pacto tradere et assignare prefato Principi loco pignoris tot de cabellis suis eiusdem Regni Sicilie citra Farum que communiter annuatim reddant et valeant unciarum auri quinque milia ponderis supradicti. Quas cabellas nomine pignoris idem Princeps tenebit et fructus ex eis percipiendos lucrifaciet non computandos in sorte donec de predicta summa quinquaginta duorum milium et quingentarum unciarum per eundem dominum Regem sibi integre satisfiat. Et salvo quod infra predictos tres annos non lucrifaciet ipsa quinque milia unciarum integre sed cum mille septingentas et quinquaginta uncias lucrifaciet quolibet annorum ipsorum reliquis et vero tribus milibus ducentis et quinquaginta quolibet ipsorum trium annorum sibi computandis in sorte. Et si dicte guerre casus accideret postquam infra predictos tres annos prefatus Princeps huiusmodi assignacionem triennalem recipere ince-